Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Alkinoos

Alcinoi Philosophi Platonici De doctrina Platonis Liber

Rostochii: Myliandrus, 1582

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1764368002

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1764368002/phys_0001

A–G.

Eb-3118.

1a-14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1764368002/phys_0002

ALCINOI PHILOSOPHI PLATONICI DE DOCTRINA PLATONIS LIBER.



ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandrj.
Anno
M. D. LXXXII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1764368002/phys_0003

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

ALCINOI PHILOSOPHI PLATONICI de doctrina Platonis liber.

QVID PHILOSOPHIA, QVALE ingenium Philosophicum.

CAPVT I.

PRæcipuarum Platonis institutionum doctrina hæc traditur. Philosophia est appetitio sapientiæ: vel solutio animę à corpore, & conuersio quædam ad ea quæ vera sunt atq; diuina. Sapientia est diuinarum humanarumq; rerum scientia. Philosophus autem est, qui à philosophia cognomen accipit, quemadmodum à Musica musicus. Et qui philosophus futurus est, ab ipsa natura sic institutus esse debet, vt primo quidem ad omnia disciplinarum genera facilis ac promptus existat. Deinde vt non ijs, quæ in fluxu versantur, sed illis quæ semper eodem

modo consistunt, mentem adhibeat. Tertio loco, vt natura sit verax, ab omni mendacio penitus alienus. Præterea temperatum hunc quodammodo nasci oportet, easq; animæ partes quæ affectibus efferri solent, domitas à natura suscipere. Quisquis enim veritatis auidus ad diuinorum contemplationē mentem conuertit, voluptates corporis paruipendit. Oportet præterea liberali animo philosophum esse: Etenim rerū vilium æstimatio, homini veritatem rerum contemplaturo aduersa est. Huius insuper voluntas iustitiam diliget, quippe cum veritatis, temperantiæ, liberalitatis studiosus existat. Adde quod ingenij acumine atq; memoria illi opus est. Hæc nanque philosophum virum perficiunt. Atqui eæ quidem naturæ dotes, quum disciplina atque educatio decens adhibita est, perfectum virtute virum efficiunt. Verum si neglectę sint, maximorum scelerum causę sunt. Atq; has Plato communiori quodam nomine temperantiæ, fortitudinis et iustitiæ, significare solet. Phi-

CAPVT II.

CVm verò duæ sint vitæ, contemplatiua videlicet & actiua: & contemplatiuæ officium in veritatis cognitione consistat, actiuæ autem in actione eorum quæ ratio dictat: honoranda quidem est vita contemplatiua: pedissequa verò necessariarumq; rerum ministra vita illa, quæ in agendo versatur. Quod autem ita sit, ex ijs declarabitur. Contemplatio est operatio mentis diuina intelligentis: actio verò operatio animæ rationalis per corpus expleta. Animus nanq; diuinũ intelligentiamq; diuinam contemplans, quamoptime affici dicitur. Atq; hæc eius affectio sapientia nuncupata est: quam quidem nihil aliud quàm Dei similitudinem appellari oportet. Quamobrem huiusmodi operatio præcipua ac veneranda est, & maximè omnium expetenda, necnõ hominis quammaxime propria, cui nulla obsistunt impedimenta, quo

minus in nostra potestate consistat: atque etiam propositi finis nobis est causa. Actiua autem vita eiusq; actio cum corporis ministerio plurimum vtantur, impediuntur sæpenumero, & quæ contemplatiua vita speculatur, ad officia morum transferre desiderant. Etenim studiosus disciplinę vir, tunc demũ ad ciuilium administrationem se confert, cum illa malè à cæteris hominibus tractari senserit, administrationem quædam quasi externa existimans militiam, legationes, executionesq; iudiciorum. Præcipua verò & maxima omnium agendorum officia, leges condere, Reipub. præscribere ordinem, disciplinam educandorũ iuuenum instituere. Quapropter oportet philosophum nunq; veritatis indagationem omittere, sed eam nutrire semper & augere, humanas autem actiones tanquam inferiora quædam nonnunquam attingere.

Philosophus versatur in tribus, scilicet in contemplatione rerum, & in actione morali, & artificio disserendi.

CAPVT

STudium profectò philosophi in tribus potissimum Plato versari voluit: In rerum speculatione, in actione virtutum, in sermonis consideratione. Vocaturq; rerum cognitio, contemplatiua: morum studium, actiuum: sermonis cura, dialectica. Dialectica verò in multas species distribuitur: in diuisionem, definitionem, inductionem, ratiocinationem. Hæc autem in demonstrationem, quæ est ratiocinatio necessaria: et in ostensionem, quæ ratiocinatio probabilis appellatur: & in rhetoricum enthymema, id est sententiam cautam, quæ ratiocinatio imperfecta vocatur: ac denique in sophismata, quibus legitimus philosophus operam dabit, non quod ea vt præcipua probet, verùm quod interdum necessaria fore censeat. Eius præterea philosophiæ, quæ in agendo versatur, prima pars mores ipsius hominis curat: altera domum gubernat: postrema tuetur rempublicam. Et prima quidem moralis,

secunda domestica, tertia ciuilis dicitur. Atque eius philosophiæ quæ contemplationi studet, pars vna immobilia & diuina primasq; rerum causas inuestigat, quam theologiam vocamus: altera motus syderum suspicit, circuitusq; & restitutiones cœlestium, ac seriem mũdi, quæ naturalis cognitio nuncupatur. Sequitur mathematica, quæ geometriam & Arithmeticam continet. Cum verò philosophia in tres potissimum species distributa sit, contemplatiuam, actiuam & dialecticam, de ipsa in primis dialectica tractandum est, quid Plato de illa sentiat. & primo quidem de iudiciario.

De iudiciario, & viribus animæ pertinentibus ad iudicium.

CAPVT IIII.

Quoniam est quiddam quod iudicat, quiddam quod iudicatur, necesse est aliquid etiam ex vtrisq; fieri, quod quidem iudicium vocare possumus propriè. Itaq; ipsum iudicium iudicia-

diciarium nominatur: communius autem ipsum quoq; quod iudicat. Iudicãs præterea duplex esse videtur: Vnum à quo, alterum per quod iudicatur. Illud intellectus noster, hoc organum naturale. idq; primo vera, secundo loco falsa dijudicat. Neq; hoc aliud quicq; est quàm ratio naturalis. Quod si liquidius etiam explicare velimus, iudex appellandus erit philosophus, à quo res ipsæ dijudicantur. Iudex item ratio, per quam verum etiam iudicatur: quod quidem organum appellauimus. Duplex autem ratio est: Vna penitus incomprehensibilis ac vera: altera secundum rerum cognitionem infallibilis. Prima Deo conuenit, homini nequaq;. Secunda homini congruit. Sed hæc quoq; duplex est: Vna ad intelligibilia, altera ad sensibilia spectat. Prima quidem scientia est, secunda verò opinio: Et illa stabilitatem habet, quippe cum circa stabilia versetur: hæc verisimilitudinẽ & imaginationem, vtpote quæ ad mutabilia tendat. Scientiæ verò cir-

ça intelligibilia, & opinionis circa sen-
sibilia, intellectio ac sensus principia
sunt. Sensus profectò est passio animæ
per corpus primo nuncians potentiam
patientem. Postquam verò in anima
per organa sensuum species rerum se-
cundum sensum impressa est, adeò vt
firma indelebilisq; permaneat, huius
itaque conseruatio memoria nuncupa-
tur. Opinio autem est memoriæ sen-
susq; complexio. Quando enim sensi-
bile quoddam primo nobis occurrit,
ab eoq; sensus in nobis efficitur, & à
sensu memoria, ac deinde rursus idem
nobis obijcitur, memoriam præceden-
tem cum sequente sensu componimus,
& in ijs iam dicimus Socrates, equus,
ignis, cæteraq; huiusmodi. Atque hæc
opinio nuncupatur, componentibus
nobis præcedentem memoriam cum
recente sensu. Et quoties hæc quæ col-
ligantur inuicem consonant, opinio ve-
ra existit: si dissonant, opinio falsa. Nã
si quis dum Socratis speciem in me-
moria seruat, Platonem ipsum offen-
dat, putetq; se ob quandam similitudi-

nem Socrati rursus occurrere, postmodum Platonis sensum velut à Socrate hauriens, memoriæ Socratis ipsum accommodet, opinio falsa resultat. Id autem in quo sensus atq; memoria fiunt, ceræ effigiei Plato comparat. At verò quum opinione concepta per sensum atq; memoriam anima cogitatione refingens, ita in hæc respicit, velut in illa à quibus ista manarunt, picturam quãdam ac etiam phantasiam Plato nominat. Cogitationem verò vocat discursum & ratiocinium animi ipsius ad seipsum. Sermonem autem effluxum à cogitatione per os vnà cum literata voce. Intellectio verò est operatio intellectus prima intelligibilia speculantis. Atque hæc quoq; duplex esse videtur: Vna antecq; anima descẽdat in corpus, nam tunc ipsa intelligibilia contuetur. Altera postcq; in corpus hoc mersa est. Ex ijs itaq; prima ipsa intellectio proprie dicta est: secunda verò pro intellectione iam naturalis intelligentia nuncupatur, intellectio quædam in anima subiecta consistens. Quoties ergo intel-

lectionem scientiæ principium dicimus, non eam quam modò proposuimus intelligi volumus, sed eam potius quæ animo à corpore soluto conuenit: quæ quidem vt diximus tunc intellectio, nunc naturalis intelligentia nuncupatur. Atq; hanc ipsam Plato intelligentiam, cum scientiam simplicem, tum animæ alam, tum etiam reminiscentiam nominat. Ex ijs denicq; simplicibus scientijs naturali scientiæ ratio natura inhærens animo conflata est. Cum itaq; sit, & sciens, & opinans ratio, intellectioq;, & sensus: necesse est et ijs subiecta quædam existere, velut intelligibilia atque sensibilia. Et quoniam intelligibilium quædam prima sunt, vt ideæ: quædam secunda, vt inhærentes materiæ species, quæ ab illa separari nequeũt: intellectio quoq; duplex erit, primorum vna: altera secundorum. Rursusq; in ipsis etiã sensibilibus quædam prima sunt, ceu qualitates, vt color, albedo: Alia secundum accidens, vt album, coloratum: post hæc quod ex

his

his concretum, vt ignis. Eodem quoq; modo sensus primus primorum est, secundorum verò secundus. Prima intelligibilia intellectio iudicat non sine scientifica ratione per comprehensionem quandam atq; discursum. Secunda verò scientifica ratio, non sine ratione opinatiua. Concretum autem opinatiua ratio, non sine sensu. Cumq; intelligibilis mundus primum intelligibile sit, sensibilis verò concretum quoddam: illud intellectio cum ratione, id est non sine ratione iudicat, hunc opinatiua ratio non sine sensu. Et cum contemplatio sit, necnon & actio recta ratio, haud eodem modo discernit quæ contemplationi, & quæ actioni subijciuntur. Cæterum in contemplatione quid verum, quid falsum considerat: in actione quid proprium, quid alienum, quid agendum, quid non. Ex eo enim quod naturalem pulchri & boni habemus intelligentiam, ratione vtentes referentesq; ad naturales intelligentias veluti ad præfinitas normas, bona ne an mala sint, singula dijudicamus.

Ele-

CAPVT V.

Dialecticæ facultatis elementum primum Plato esse vult, in primis rei cuiusq; essentiam considerare: postea quæ contingunt aduertere. Quid autem vnum quodq; sit considerat, vel ex superioribus diuidendo atque definiendo, vel ordine conuerso composita resoluendo. At contingentia, & essentijs adiacentia, vel ex ijs quæ continentur per inductionem, vel ex ijs quæ cõtinent per ratiocinationem: vt meritò dialecticæ membra sint, diuisio, definitio, resolutio, inductio, ratiocinatio. Diuisionum præterea quædam est generis in species distributio, quędam totius in partes: vtpote cum animam in partem rationalem, & ratione carentem diuidimus, atq; hanc in appetendi & irascendi vim distribuimus. Est insuper vocis in significata diuisio, quoties nomen idem res plures significat. Accedit quoque accidentium in subiecta diuisio, veluti cum dicimus, Bonorum

rum quædam circa animam, alia circa corpus, nonnulla circa res externas. Nec deest in accidentia subiectorum partitio: ceu cum dicimus, hominum quosdam bonos, nonnullos malos, medios alios. Diuisione igitur generis in species primo vtendum est, quoties quid vnumquodq; sit dignoscere volumus. Id autem absque definitione fieri nequit: definitio q; ex diuisione hoc pacto conficitur. Rei definiendæ genus capere in primis oportet, veluti genus hominis, animal: Id deinceps secundum proximas differentias partiri, vsque ad species descendendo, vt in ipsum rationale & irrationale, mortale & immortale. Quapropter si proximæ differentiæ generi adijciantur, hominis definitio constituetur. Resolutionis tres sunt species: Vna est à sensibilibus ascensus ad intelligibilia prima: Altera, accessus per demonstrata & subdemonstrata ad indemonstrabiles, & sine medio propositiones. Postrema ex suppositione ad principia, quæ minimè supponũtur.

Et

Et prima quidem huiusmodi est, ac si à pulchritudine corporum ad animi pulchritudinem transcendamus: ab hac ad officiorum pulchritudinem: ab ea deinde ad pulchritudinem quæ in legibus inest: demum ad ipsum pulchritudinis fontem: vt per hunc modum gradatim ascendentes, ipsum per se pulchrum intueamur. Secunda resolutionis species ita fit: Supponendum est id quod quæritur, & quæ suprà sunt consideranda, eaq; demonstranda à posterioribus ad superiora progrediendo, donec ad primũ & planè concessum perueniamus: à quo rursus incipientes, ad quæsitum compositionis modo regrediamur. Ceu si quis quærens an immortalis sit animus, idipsum primo supponat inquirens, vtrum semper mobilis, atq; id inde demonstret: quærens vlterius, vtrum quod semper mouetur, per se moueatur: idq; rursus ostendat considerans, num quod per se ipsum mouetur, motus principium sit, rursusq; demõstret: inquirens denicq; vtrum principium ingeni-

genitum sit, quod quidem vt perspicuum à cunctis admittitur. Ingenitum quidem incorruptibile est, à quo veluti à manifesto demonstrationem eiuscemodi colligat: Principium ingenitum & incorruptibile, principium motus quod per se mobile: per se mobile animus: Incorruptibilis ergo & ingenitus animus. Resolutio ex suppositione huiusmodi est: Quisquis aliquid inuestigat, illud primo supponat: deinde quid ex suppositio sequatur aduertat: Posthac si oportuerit suppositionis rationẽ reddere, aliam suppositionem assumẽs quærat, vtrum quod prius suppositum fuerat, rursus ad secundam suppositionem sequatur: Idemq; semper obseruet, donec ad principium quod non supponatur ascendat. Inductio autem est omnis per rationes processus, qui vel à simili transit in simile, vel à singulis in communia. Atq; hæc argumentatio ad excitandas naturales intelligentias summoperè confert.

CAPVT VI.

ORationis eius quam propositionem vocamus, species duæ sunt, affirmatio & negatio. Affirmatio hæc est, Socrates vadit. Negatio hæc, Socrates non vadit. Ex affirmationibus autem & negationibus, quædam vniuersalis est, quædam particularis. Particularis affirmatiua hæc, quædam voluptas bonum. Negatiua, quædam voluptas non bonum. Vniuersalis affirmatiua, omne turpe malum. Negatiua vniuersalis, nullum turpe bonum. Ex propositionibus, quædam prædicatiuæ sunt, quædam suppositiuæ. Prædicatiuę quę simplices, vt omne iustum bonum. Suppositiuæ, quæ consequentiam vel repugnantiam inferunt. Vtitur autem ratiocinationibus Plato tum redarguendo, tũ etiam demonstrando: Redarguens per quæstionem quæ falsa sunt, demonstrans per doctrinam quæ vera. Ratiocinatio est oratio quędam, in qua quibusdam positis, ex necessitate conclusio

clusio sequitur. Ratiocinationum quædam prædicatiuæ sunt, nonnullæ suppositiuæ, reliquæ ex ijs vtrisq; commistæ. Prædicatiuæ, quarum tam assumptiones, quàm conclusiones simplices propositiones sunt. Suppositiuæ, quæ ex suppositiuis propositionibus fiunt. Mixtæ, quæ ex vtrisq;. Vtitur autem Plato demonstratiuis argumentationibus in dialogis, qui ad expositionẽ pertinent: probabilibus vero & apparentibus aduersus sophistas atque iuuenes: contentiosis aduersus illos, qui proprie litigiosi vocantur, vt ad Euthydemum & Hippiam. Cùm verò prædicatiuæ figuræ tres sint, Prima est in qua communis terminus ad hoc prędicatum, ad illud subiectum est: Secunda, in qua cõmunis terminus de vtrisq; prædicatur. Tertia, in qua cõmunis terminus vtrisque subijcitur. Terminos dico partes propositionum, vt homo est animal: hominem & animal terminos appellamus. Et secundum primam figuram vt plurimum Plato disputat, necnon se-

dum figuram secundam ac tertiam. Atqui ad modum primæ sic in Alcibiade argumentatur: Iusta pulchra sunt, pulchra bona, iusta ergo sunt bona. Ad modum secundæ sic in Parmenide: Quod partes nullas habet, nec rectum est nec rotundum: at quicquid figuræ est particeps, aut rectum aut rotundum est: quod ergo partes non habet, figuræ nullius est particeps. Ad modum tertiæ sic eodem in libro: Quod figura participat, quale est: quod figura participat, finitum est: quod ergo est quale, finitū est. Argumentationes præterea quæ per suppositiones contextæ sunt, crebras apud Platonem reperire licet, præcipuè verò in Parmenide rationes eiusmodi: Si nō habet partes ipsum vnum, nec principium, nec finē, nec medium habet: Quod si principium, medium, finemq; non habet, nec habebit terminum: si non habet terminum, figura nulla participat: Ergo si non habet partes ipsum vnū, nullius figuræ particeps est. Secundum verò figuram secundam argu-

argumentationis suppositiuæ, quam plurimi tertiam nominant, in qua communis terminus extrema vtraq; sequitur, in hunc modum ratiocinatur: Si non habet partes ipsum vnum, neq; rectum est, neq; rotundum: Si figura participat, aut rectum aut rotundum est: idcirco si partes non habet, nec figuræ quidem particeps erit. Quinetiam secundum tertiam figuram, quam nonnulli secundam esse volunt, in qua cõmunis terminus vtraque antecedit, in Phædone sic quodammodo argumentatur: Si scientiam ipsius æqualis adepti nunc̃q; obliuioni tradidimus, profectò scimus: Sin autem oblíti sumus, reminiscimur. Mixtis item argumentationibus, quæ per consequentiam procedunt, sic vtitur: Si vnum totum est & finitum, hoc principium, media, finem habens, figurą quoq; participat. Verũ antecedens, verum igitur consequens. Eorum autem quæ per consequentiam fiunt, sic quodammodo differentiæ cõsiderantur. Quando quis igitur diligen-

ter animi vires, variasq; naturas hominum necnon diuersas argumentationum species animaduerterit, deinde tẽporis occasione considerata, certis affectibus hominum proprias, quibus moueri possint ratiocinationes accommodarit, perfectus erit orator, eiusq; rhetorica, scientia benè dicendi meritò nũcupabitur. Sophismatum quoque captionumq; laqueos modò perspicacius inspiciamus, in Euthydemo à Platone subinsinuatos percipiemus. Illic enim & quæ secundum voces, et quæ secundum res ipsas sophismata fiunt, & eorum præterea solutiones reperiuntur. Atq; etiam decem prædicamenta, tum in ipso Parmenide, tum in alijs dialogis tradidit. Locos autem ab etymologia omnes in Cratylo complexus est. Et proculdubio vir præ cæteris admirãdus in diuidendo, definiendoq;, quæ duo dialecticæ vim maximè testantur, Plato noster extitit. Quæ vero in Cratylo tradita sunt, hoc intendunt. Discutit vtrum natura, an positione nomina

vim

vim suam habeant: placetq; illi positione quadam constare nominum rectitudinem, neq; tamen id temerè, & vt sors obtulit, verùm positionem ipsam rerũ naturam secutam fuisse censet: neque aliud esse nominum rectitudinẽ, quàm impositionem rei ipsius naturæ consonam. Neq; enim quamlibet impositionem nominis ad rectitudinem sufficientem esse, neq; rursus naturam, ac primam vocis emissionem, sed quod ex vtrisque compositum, vt omnis nominis rectitudo sit secundũ impositionem rerum naturæ conuenientem. Non enim si quodlibet nomen temere cuilibet adhibeatur, rectum significat: veluti si equus homini nomen imposuerimus: Etenim loqui, vna quædam operationum est: Quamobrem non quomodocunq; quis loquatur: recte loquitur: verum si ita loquatur, vt rerum ipsarum natura requirit. Quoniam vero ipsius locutionis pars quædam nominatio est, vt orationis pars nomen, recte vel non recte nominare, haud sa-

nè per quamlibet positionem fieret, sed per naturalem nominis ad rem ipsam cognationem. Isq; rectus erit nominũ conditor, qui per nomen rei naturam significabit. Nam rei organum, nomen est, non quodcunq; sors obtulit, sed quod naturæ congruum: Ac per istud vicissim nobis res indicamus, naturãq; discernimus. Quo fit, vt nomen sit instrumentum quoddam, indicans atq; distribuens vniuscuiusq; substantiam, quemadmodum telam textoris pecten. Ad dialecticum igitur hoc etiam pertinebit, nominibus recte vti, vt pectine textor vtitur, proprium illius opus agnoscens, cum illũ faber effecerit: haud secus dialecticus nomine, quod nominum conditor effinxit, vt decet, vtetur. Enimuero temonem constituere fabri, vti autem recte gubernatoris officium. Eodem pacto ipse quoq; nominum institutor, recte nomina statuet, si tanq; præsente dialectico instituerit, quippe cum dialecticus naturas eorum, quæ sub nominibus latent, intelligat. Atq; hæc de dialectica dicta sufficiant.

CAP. VII.

DEinceps de speculatiua philosophia dicendum. Huius membra dicimus theologiam, physicen, mathematicam. Theologi finis, supernarum causarum cognitio. Physici, quæ sit mundi natura perdiscere: quale animal homo, quam sit prouinciam in mundo sortitus, vtrum deus prouideat omnibus, & num cæteri huic subiecti ministri, atque etiam quo modo ad deos sese homines habeant. Mathematici finis, planam, et in tres porrectam dimensiones naturam cognoscere, motumq; ad cœlestium progressus suspicere: atq; ita in summa quadam mathematici speculatio proponatur. Hæc vtiq; ad cogitationis acumen à Platone suscepta est, attingens animum, & ad rerum diuinarum intuitum, aciem mentis exacuens. Pars autem mathematicæ facultatis, quæ ad numeros spectat, non mediocrem ad diuina percipienda vim præstat: verum ab errore atq; ignoran-

tia quæ circa sensibilia ista versatur, nos liberat, opem ferens ad essentiæ cognitionem: promptumq; ad certamen, propter consequentium rerum ordinisq; peritiam hominem reddit. Geometria quoq; plurimum ad ipsum bonum intelligendũ conferre videtur, cum quis non mechanicæ dimensionis gratia ipsam sectatur, sed ita vtitur, vt eius adminiculis ad superna conscendat, nec in rebus quæ oriuntur & occidunt, dimetiendis insistat. Quinetiam stereometria, id est solidorũ dimensio quammaxime vtilis est. Nam post secundam augmentationem sequitur eius consideratio, tertium suscipiens augmentũ. Vtilis præterea ceu quarta quædam disciplina Astronomia est, per quam cœli syderumq; motus, autoremq; dici ac noctis, & mensium & annorum inspicimus, ex quibus quasi proxima quadam regione horum omnium auctorem inuestigamus, & ab ijs disciplinis veluti à quibusdam subsellijs, & elementis, & gradibus ad altiora progredimur.

dimur. Musicam quoq; discere nos oportet, ad eam adhibentes auditum. Nam quemadmodum ad astronomiã oculi conditi sunt, sic aures ad harmoniam: vtq; astronomiæ incumbentes, ab ijs quæ oculis percipiuntur, ad inuisibilem essentiam ducimur: sic & auribus harmoniam vocum haurientes, ab ijs quæ audiuntur, ad intelligibilia gradatim accedimus. Quamobrem nisi finis istius gratia mathematica prosequamur, horum profectò curiositas manca & amens, nulliusq; æstimanda censetur. Decet enim confestim ex ijs quæ oculis & auribus percipiuntur, ad illa quæ sola cernit ratio pertransire. Nam mathematicorum consideratio, pręludium quoddam est ad diuinorum contemplationem. Arithmetica quippe & geometria, & qui eas colunt, essentiam ipsam videre desiderant: Veruntamen circa illam quodammodo somniant, nec eam reuera cernere possunt, ignorantq; principia, & quæ ex principijs constituuntur. Verum nihil-

omi-

ominus ad ea quæ diximus conferunt: ideoq; nec scientias disciplinas huiusmodi Plato appellandas esse censuit. Cæterum dialectica facultas à geometricis suppositionibus ad prima principia, quæ minime supponuntur, assurgit. Quapropter dialecticam iure scientiam appellauit. Disciplinam vero mathematicorum nõ opinionem, quia clariora sint quam sensibilia: neq; rursus scientiã, quia obscuriora sint quãm intelligibilia prima: sed opinionem corporum, scientiam diuinorum, cogitationem mathematicorum. Fidem præterea & coniecturam imaginationemq; imaginibus idolisq; attribuit. Quoniam vero dialectica efficacior est quàm mathematica, ex eo quod circa diuina æternaq; versatur: idcirco mathematicis vniuersis præponitur, velut arx quædam & custodia reliquorum.

De materia prima. Cap. VIII.

Post hæc de principijs, & ijs quæ ad theologiam spectãt breuiter disseramus,

ramus, à prioribusq; ordiamur, descendentes inde ad ipsius mundi generationem ac demum vsq; ad hominum genituram. In primis igitur de materia tractandum est. Hanc sanè effigiem omnium receptaculum, nutricem, matrem, locum, subiectumq; nominat, eamq; asserit sine sensu tangi, & adulterina ratiocinatione comprehendi. Materiæ proprium esse vult omnes, generationes suscipere, ac nutricis instar eas fouere, omnes item formas capere, cum ipsa suapte natura omnis formæ, qualitatis & speciei sit expers. Conspersam præterea illam & figuratam formis velut effigiem asserit, nullius per se figuræ qualitatisue participem. Neque vero subiectum esset ad varias formarum impressiones commode præparatum, nisi qualitate omni quam susceperum est, penitus careat. Videmus enim eos qui vnguenta ex oleo odore suauia conficere studeant, oleum nullo prorsus odore infectum quærere: eosq; qui formas impressuri sunt

vel

vel ceræ, vel luto, primum materiam ipsam polire penitus atq; lenire, donec figuræ pristinæ deleantur. Conuenit nanq; vniuersali materiæ, si modò formas omnes susceptura sit, nullam illarum habere naturam, sed absq; qualitate omni atq; specie subijci speciebus. Et cum huiusmodi sit, neq; corpus erit, neque etiam incorporea, sed potentia corpus, quemadmodum æs potentia statua, quoniam speciem suscipiens, statua fiet.

De ideis, & de causa efficiente.

CAPVT IX.

CVm vero materia principij cuiusdam rationem habeat, alia quoq; principia Plato præter materiam introducit, principium videlicet exemplare, ad quod ideæ ipsæ reducuntur, & principium paternum quod ad deum rerum omnium causam pertinet. Est autem idea ad deum quidem intellectio dei, ad mundum vero sensibilem exemplar, ad seipsam essentia. Quicquid enim

enim intelligentia fit, ad aliquid referre necesse est, quod quidem operis exemplar erit: Quemadmodum si aliquid ab aliquo fiat, vt à me meipsius imago. Et si exemplar haud omnino sit ab agente seorsum, vt quisq; artifex in seipso artificiorum exempla concipiens, horum deinde formas in materiam explicat. Definiunt autem ideam exemplar æternum eorum, quæ secundum naturam fiunt. Nam pluribus ex ijs qui Platonem secuti sunt, minime placuit artificiorum ideam existere, vt clypei atq; lyræ: neq; rursus eorum quæ præter naturam, vt febris ac bilis intemperatæ: neque particularium, ceu Socratis & Platonis: neq; etiam alicuius eorum quæ imperfecta sunt, veluti sordium atque festucæ: neque relationum, vt maioris & excedentis: Esse nanque ideas intellectiones dei æternas ac seipsis perfectas. Quod vero sint ideæ, sic probant: Siue intellectus deus ipse sit, siue intellectuale quiddam, notiones illi adsunt æternæ atq; immobiles.

Quod

Quod si hoc ita se habet, ideæ sunt. Etenim si mensura per scipsam materia caret, ab aliquo superiori, & à materia penitus absoluto mensuras suscipiat necesse est. Verum quidem est antecedens, verum igitur consequens. Et si hoc, ideæ sunt mensuræ quædam sine materiæ mixtione existentes: accedit quod si mundus non temerario quodam casu talis est, non solum ex aliquo, verumetiam ab aliquo factus est. Neque id solum, sed ad aliquid etiam fabricatus. Id vero ad quod effectus est, quidnam aliud præter ideam existit? Quo sequitur, vt ideæ ipsæ sint. Item si intellectus à vera opinione differt, intelligibile quoq; ab opinabili discrepat. Hoc si verum est, extabunt intelligibilia ab opinabilibus differentia, vt sint prima quoq; intelligibilia, quemadmodum & sensibilia prima: ex quo ideas esse concluditur.

Quomodo describatur deus, & quibus rationibus inuestigetur.

Cap. X.

Dein-

Deinceps de tertio principio dicendum est, quod penè ineffabile Plato autumat. Ipsum tamen hoc modo conemur ostendere. Si intelligibilia sunt, eaq; nec sensibilia, neque cum illis coherentia, sed intelligibilibus primis extant prima intelligibilia simplicia, quemadmodum sensibilia prima. Antecedens verum, verum ergo quod sequitur. Homines sanè, vtpote perturbatione sensuum occupati, quoties intelligibile quiddam contemplari statuunt, in phantasiam mox alicuius sensibilis recidunt, adeò vt sæpenumero ei quod intelligendum est, vel magnitudinem vel figuram applicent, vel colorem: quo fit vt illud syncere intelligere nequeant. Dij autem sine corporalium mixtione, purè nimium atque syncere intelligunt. Quoniam vero intellectus anima melior est: intellectu autem eo qui in potentia, melior intellectus ille qui actu semper omnia q; simul intelligit: hoc deniq; pulchrius quod eius est causa, quodq; omnibus

superextat: is vtique deus ipse primus existit, isq; causa est, vt mundi mens semper agat: in quam immobilis ipse, semper haud secus quam in oculum obiectum Sol agit: Atq; ea ratione mouet, qua id quod appetitur, immobile ipsum, appetentem agitat. Hoc inq; pacto mens ipsa suprema, totius cœli mentem ducit. Et cum primus hic intellectus pulcherrimus sit, pulcherrimum quoq; intelligibile illi subijci necesse est. Nihil autem ipso pulchrius: seipsum igitur ac notiones suas semper intelligit. Atq; hæc eius operatio idea est. Quin etiam deus ipse supremus, æternus, ineffabilis, seipso perfectus, nullius egens, semperq; & vndiq; absolute perfectus. Diuinitas essentiæ ratio. Veritas harmonia, bonum existit: Neq; vero hæc ita dinumero vt ab inuicem ipsa secernam, imò vt vnum potius cuncta contemplor. Bonum profectò ob eam causam dicitur, quod omnia pro capacitate cuiusq; beneficijs replet, omniumq; bonorum causa est.

Pul-

Pulchrum vero ex eo, quod ipsum natura plenitudo ipsa et harmonia omnis existit. Veritas item ob id vocat, quoniam omnis veritatis ita principium est, vt Sol quoque luminis vniuersi est. Et pater, quia omnium causa, cœlique totius mentem, & mundi animam ad sui ipsius exemplar exornat. Nam suæ voluntatis munere omnia seipso compleuit, mundi animam excitans & ad se conuertens: quippe cum mentis eius causa sit. Atqui mens ista beneficio patris ornata, naturã omnem huius mundi perornat. Ineffabilis præterea & sola mente percipiendus deus ideo dicitur, quia nec genus circa illum, neque species, neque differentia vlla, neque accidit illi quicquã: nam nec malum: nefas enim dictu id esset. Neque etiam bonũ, siquidem participatione cuiusque bonitatis præsertim talis existeret. Neque differentia illi accidit vlla: Non enim id secundum ipsius notionem fieri potest. Neque qualitas, non enim qualis effectus est: neque tamen informis, nõ enim qua-

litate vlla ad se pertinente priuatus est. Neq; est pars cuiusquam, nec totum vt partibus cõstitutum: neq; idẽ est cuiq;, nec alterum, quippe nihil illi contingit quo ab alijs secerni queat: neq; mouet, neq; mouetur. Vnde prima huius intelligentia est secundum horum omnium ablationem: quemadmodum punctũ quoque cogitamus secundum ablationem, primo superficiem, deinde lineam, postremo punctum considerantes. Secunda eius intelligentia est secundũ proportionis rationem, hoc pacto: Quam rationem Sol habet ad visum & ad ea quæ videntur, non existens ipse visus, præbens vero huic quidem vt videat, his autem vt videant: eandem profectò rationem habet intellectus primus ad intelligentiam quæ animæ inest, & illa quæ intelliguntur. Neque enim ipse idem quod intelligentia est, porrigit tamen intelligendi vigorem: animæ quidem vt intelligat, intelligibilibus autem vt intelligantur, veritatem quæ illis inest illuminans. Tertius intel-

intelligendi modus huiusmodi est. Aduertens quispiam pulchritudinem quæ corporibus adest, ad animi pulchritudinem sese confert: deinde ad eam quæ in officijs ac legibus: postremo ad ipsum pulchritudinis fontẽ, supra quem ipsum bonum amandum & expetendum intelligit, velut splendorem in animam quæ illuc euolauit subitò refulgentem. Huiusmodi vero lumen deum ipsum esse ob excellentiam recognoscit, eumq; in primis sine magnitudine quantitatis agnoscit. Nam pars, atque id ex quo aliquid constituitur, illud semper cuius pars est antecedit: Planum nanq; prius est, quàm corpus, & linea prius quàm planum. Cum vero partes nullas habeat, neq; secundum locum, neque secundum alterationem mouebitur. Etenim si mutationem patitur, vel à seipso, vel ab alio quodam permutari necesse est. Si ab alio, illud vtique validius erit. Sin à seipso, aut in deterius, aut in melius transmigrabit. Verum vtraq; impossibilia

sunt. Quibus omnibus perspicuum est, ipsum incorporalem esse. Veruntamẽ ex ijs quæ adijcientur, idem quoque patebit. Si corpus Deus esset, ex materia specieq; constaret, ex eo quod omne corpus compositum quoddam est ex materia simul & specie, quod quidem idearum simile redditur, dum illis ineffabili quadam ratione participat. Absurdum autem est Deum ex materia specieq; constitui: Neq; enim simplex, neq; principium esset. Quamobrẽ incorporeus Deus est. Præterea si corpus est, ex materia constat. Ideoq; vel ignis est, vel aër, vel terra, vel aqua, aut aliquid ex ijs conflatum. At quomodocunque se habeat, principium minimè erit, eritq; materia ipsa posterior, si quidem ex materia conficiatur. Quæ quoniam nefaria sunt, incorporeum esse Deum necesse est. Etenim si corpus est, corrumpi potest, genitusq; est, & transmutationi subiectus. Atqui horum nihil in Deum cadit.

Qualitates sunt incorporeæ.

CAP. IX. Qua-

Qvalitates insuper in hunc modum incorporeas esse monstrabimus. Omne corpus subiectum est: qualitas vero minime subiectum, sed accidens: non ergo corpus est qualitas. Nullum corpus in subiecto, omnis qualitas in subiecto, non ergo corpus est qualitas. Item qualitas contraria qualitati: nullum vero corpus, quà corpus contrarium corpori: non ergo corpora sunt qualitates. Quinetiam rationi maxime consentaneum est, vt quemadmodum materia qualitatis est expers, ita & qualitas materiæ expers sit. Et si materia careat, corpus esse non poterit. Enimuero si corpora qualitates sunt, duo ac tria corpora eundem in locum concurrent: quod à ratione procul aberrat. Quod si qualitates incorporeæ sunt, opifex quoq; illarũ incorporeus est. Præterea agentia nulla esse præter incorporalia possunt. Siquidem corpora passibilia sunt atq; fluentia, neque semper eodem se modo habentia, neque in eodem statu perseue-

rantia, & in quibus aliquid efficere alicui forsitan videbuntur, multomagis illic pati reperientur. Vnde quemadmodum est aliquid quod omnino patitur, ita necesse est aliquid quod omnino agat existere. Id vero nihil esse aliud quàm incorporeum inueniemus. Sermo itaq; de rerum principijs, qui theologicus appellatur, hic iam finem suum accipiat. Nam deinceps in eam disputationem quæ physica nuncupatur, descendendum esse videtur.

De causis, & generatione, & elementis, & ordine mundi.
Cap. XII.

COrporalium omnium quæ secundum naturam distincta inuicem efficiuntur, præfinita quædam exemplaria ideas esse oportet, ad easq; scientias & definitiones referri. Nam præter singulos homines, hominem ipsum intelligere decet: & præter equos singulos, ipsum equum: ac generatim præter animalia cuncta, immortale animal

nimal & ingenitum. Quemadmodum ab vno sigillo plurimæ exprimuntur imagines, & vnius hominis imagines multæ, quibus omnibus idea ipsa causa est, vt huiusmodi sint, cuiusmodi & ipsa est. Quapropter mundum hunc vniuersum, pulcherrimum opificium dei, necesse est ab ipso deo ita fabricatum fuisse, vt ad ideam quandam mundi huius exemplar in ipsa fabricatione respexerit, dum mira quadam prouidentia atq; optima norma, hoc est propria bonitate ad huius machinæ constructionem sese deus accingeret. Ex tota ergo ipsum materia genuit: quam quidem sine ordine vllo ante cœli generationem tumultuantem, deus ex confusione deformi, in pulchrum ordinem reuocauit, numerisq; decentibus & figuris eius partes vndiq; decorauit, vt ea mundus sit proportione contextus, quam etiam nunc ignis atq; terra ad aërem & aquam seruant. Horum tunc vestigia solum absq; ratione atq; mensura, in ipso elementorum re-

ceptaculo confuso iacebant, quatiebantq; materiam, & à materia vicissim quatiebantur. Ex integris enim quatuor elementis eum compegit, ex toto scilicet igni, aëreq; & aqua simul ac terra, nullam alicuius partem potentiamúe relinquens. Præsciebat enim quod corporeus futurus esset, tactuq; ac visu percipiendus. Absq; vero ignis & terræ præsentia, nihil tangendi vidēdiq; sensum mouere potest. Quamobrem secundum congruam rationem, ex igne ipsum terraq; constituxit. Quoniam vero vinculo quodam vtrorumq; medio ad extrema vincienda opus erat, diuinum autem vinculum est quod secundum proportionem fit, quod & seipsum & ea quæ vinciuntur vnum efficit, planusq; mundus nequaquam futurus erat, alioquin vnicum medium sufficisset. Sphæricus autem esse debebat, ideoq; geminis illi medijs opus erat. Ob hanc causam inq; inter ignem ac terram, aër & aqua secundum proportionis consonantiam

inter-

interiecta sunt: vt quemadmodum se habet ignis ad aërem, sic aër ad aquam: vtq; aër ad aquam, sic & aqua ad terram: ac rursus vt terra ad aquam, sic aqua ad aërem: vtq; aqua ad aerem, sic aer ad ignem. Ex eo insuper quod nihil extra mundum reliquit, unicum illum fecit, & ideæ suæ quæ vnica est, numero quoque parem. In quem præterea nec morbus vnquam, neque senectus incurreret, quippe cum nihil extra superſit, quod vim inferat: verum seipso sufficiens, nullius q; indigus, atque incolumis perseueraret. Figuramq; illi dedit sphæricam, vtpote omnium pulcherrimam figurarum, capacissimamq; & ad motum facilimam. Et quoniam nec auditu, nec visu, nec cæteris sensibus indigebat, ideo sensuum instrumenta ad obsequium sentiendi nulla prorsus adiecit. Cæteras item motus species procul esse iussit, solumq; circuitum concessit illi, tanquam mentis & sapientiæ proprium.

De con-

De conuenientia figurarum cum elementis mundi atq; mundo.

Cap. XIII.

ET cum duo sint ex quibus constructus est mundus, corpus scilicet atque anima, quorum illud visibile corruptioniq; obnoxium, hæc inuisibilis atq; intangibilis, vtriusq; vis constitutioq; differens extitit. Corpus siquidem mundi, ex igni, terra, aqua & aëre compactum est. Quatuor enim hæc artifex ipse mundi comprehendens, nullum prius elementorum ordinem obseruãtiæ figurauit ea pyramide atq; cubo, & octaedro, id est figura octo facierum, atq; icosaedro, id est figura facierum viginti: cunctis autem impressit duodecaedrum, id est figuram facierum duodecim. Quatenus ergo materia pyramidem figuram induit, ignis emicuit. Ea quippe figura tenuis & ad incisionem præ cæteris apta, ex paucioribusq; triangulis constituta, ideoq; omnium figurarum leuissima. Quatenus autem octaedrum, aëris sub-

subinduit qualitatem. At vero cum primum icosaedram figuram cepit, aquæ naturam sortita est. Figuram denique cubicam terræ largitus est, solidissimæ quidem atque elementorum omnium stabilissimæ. Figura deniq; duodecaedra, ad vniuersi fabricam vsus est. His omnibus antiquior natura planorum: Plana enim solida præcedunt. Planæ vero naturæ duæ quædam origines rectis angulis figuræ sunt, scalinus & isoceles. Et scalinus quidem est triangulus, vnum rectum angulum habens, alterum duarum tertiarum, alium vnius tertiæ. Scalinus ergo triangulus pyramidis, & octaedri, atq; icosaedri elementum sit, cum pyramis ex triangulis quatuor æquilateris constituatur, quorum quilibet in sex triangulos scalinos distribuitur. Octaedra vero figura ex octo similibus, quorum quisque in sex triangulos scalinos diuiditur. Icosaedra figura ex viginti similiter. Isoceles autem triangulus figuræ cubicæ elementum est. Nam quatuor

isoce-

ísoceles trianguli concurrentes, quadrangulum complent. Ex huiusmodi autem quadrangulis sex, cubus conficitur. Duodecaedram verò figuram ad vniuersi constructionem ipse Deus assumpsit, vnde & animalium formæ duodecim in zodiaco circulo conspiciuntur, quorum quodlibet in partes triginta secatur. Similiter quoque in ipsa duodecaedra figura intueri licet pentagonos duodecim in triangulos quinq;, ita vt vnusquisq; per sex triangulos diuisos existat, & in omni duodecaedro trecenti sexaginta trianguli reperiantur, quot etiam in zodiaco portiones existunt. His ab ipso deo formata materia agitari cœpit: primo quidem vestigijs absque ordine, deinde à Deo in ordinem redacta est, singulis secundum proportionem inuicem temperatis. Neq; tamen loco discreta hæc permanent, indesinenter q; concussionem & ipsa habent, & in materiam inferunt, à circũferentia enim mundi constricta seruantur, atq; inuicem alternis pulsi-

pu'sibus coagitata feruntur, tenuia quidem in prouinciam solidorum. Qua de causa nihil omnino vacuū restat, et inæqualitas iugiter perseuerans pulsationis causam præbet. Ab ijs enim materia, & ista vicissim à materia quatiunt.

De anima mundi, & sphæris, atq; stellis.

CAP. XIIII.

EX corporibus itaque animæ vires inuestigare concessit. Nam cum res singulas anima discernamus, rerum omnium principia meritò huic indidit, vt quicquid vnq; occurreret, ex cognatione quadam recognoscentes, rebus consonam illius essentiam adhiberemus. Ergo cum diceret esse intelligibilem quandam indiuisibilemq; substantiam, alteram quoque circa corpora dispersam tradidit, innuens animam per intelligentiam vtranq; substantiam percipere posse. Et quia in rebus ijs quæ ad intelligentiam attinent, & in ijs etiam quæ ad sensum ipsum idem atq; ipsum alterum esse cognouit, ex

ijs

ijs omnibus animam iure constituit. Aut enim simili simile (vt Pythagoreis placet) agnoscitur, aut quemadmodũ Heraclyto physico, dissimile semper dissimili. Cum vero mundum Plato genitum inquit, haudquaq; sic eum sensisse credendum est, vt aliquod olim tempus ante mundum præcesserit: verum quia semper in generatione perdurat, indicatq; substantiæ suæ causam præstantiorem. Animam præterea mundi, quæ semper extitit, haud efficit deus, sed ornat, eaq; ratione illam facere nonnunq; asseritur, quod excitat eam, & ad seipsum eius mentem velut ex profundo quodam somno conuertit, vt ad ea quæ intelliguntur à deo respiciens, diuinasq; notiones affectans, species inde formasq; recipiat. Perspicuum est præterea, quod mundus anima simul & mente, ab ipso deo donatus est. Nam quum optimum opus fore id vellet, meritò & animatum mundum & intellectualem effecit. Etenim opificium viuens, non viuente om-

te omnino præstantius est: & mentis compos eo; quod mentis est expers. Nec fortè sine anima accedere mundo mens poterat. Cumq; anima à mundi medio ad extrema vsque se funderet, mundi corpus totum circulo complexa est. Vniuersum quippe circumtegens singulis eius communicata particulis, eoq; pacto insolubili connectit vinculo, incolumemq; conseruat. Atq; ea vis animæ, quę extrà restitit, partes eius intimas antecedit. Illa siquidem indiuisa permansit, interior autem portio in septem diuisa circulos est, ab ipso principio duplis ac triplis interuallis vndiq; distributa. Et illa quidem, quæ ab indiuidua sphęra comprehenditur, ei quod ipsum idem est, cognata permanet, quæ autẽ dispersa est ei contra quod ipsum alterum appellatur. Motus enim cœli singula comprehendentis cum minimè peruagetur, vnus est, ordinemq; præcipuum seruat. At vero subiectorũ progressus varius ortibusq; & occasibus permutatur: vnde peruagatio quædam

atque oberratio nuncupatur. Extimus quidem circulus, ad dexteram ab ortu in occasum vsque transcurrit. Interior autem contrà, in sinistram ab occidente in orientem superiori resistens. Stellas præterea & astra Deus ipse molitus est, & quæ ex ijs nequaq; vagantur, ad cœli noctisq; ornatum. Atq; huiusmodi stellarum multitudo innumera est. Quæ verò vagantur numero septem, ad numeri temporisq; originem, & ad rerum omnium illustrationem. Tempus planè mundani motus interuallum facit, veluti quandam æternitatis imaginem. Æternitas quippe æterni mundi status mensura est. Vagantium quoque siderum haud sanè omnium vis eadem est. Sol enim dux est omnium reliquorum, & illuminans & oculis patefaciens vniuersa. Luna deinde potestatis gratia, secundum obtinet ordinẽ. Cæteri verò Planetæ secundum proportionem pro sorte propria singuli. Luna siquidem mensis terminum indicat, in eo spacio circulum suum excurrens,

currens, solemq; comprehendens. Sol autē anni mensura: transcurrens nanq; zodiacum circulum, anni tempora cōplet. Cęterorum quoq; syderum quodlibet proprio circuitu fertur. Atque hi quidem circuitus non quibuscunq; hominibus, sed eruditis noti sunt. Ex omnibus demū reuolutionibus absolutus numerus tempusq; complebitur, cū ad idem punctum omnes planetæ peruenientes eiusmodi accipient ordinem, vt linea quadam recta à supremo circulo vsq; ad terrā secundum perpēdiculum considerata, omnium centra in ipsa cōspiciantur. Cum igitur septem sphæræ in orbe circumuago cōstructæ fuissent, in ijs corpora septem conspicua mundi conditor maxima ex parte ignea fabricauit, eaq; sphæris ex altero vagoq; circulo constitutis adnexuit. Lunam profectò circulo supra terram primo dicauit. Solem uero secundo. Luciferum deinde et sacrum Mercurij sydus in circulo pari ac Sol velocitate currente dispositit. Supra vero reliqua secundum

propriam sphæram gradatim disposita. Tardiorem sanè omnibus Saturni stellam in proxima sub non errãte circulo sede collocauit. Qui verò huic aliquid in tarditate cedit Iupiter, continuò sequebatur. Huic Mars deinde succesit. Octaua demum potestas hæc omnia circumplexa est. Horum singula viuentia sunt, & intelligentia, necnon dij cognominantur, eorumq; figuræ rotundæ sunt.

De Dæmonibus atque elementis.

CAPVT XV.

SVnt & alij qui vocantur Dæmones in singulis elementis, quos intelligibiles Deos nuncupare possumus, partim quidem visibiles, partim autem visus aciem fugientes in æthere atq; igni, aëreq; & aqua, ne pars vlla mundi expers animæ, animantisue natura præstantis relinqueretur. His autem terrena, & quæ sub luna sunt cuncta subijciuntur. Etenim Deus mundi totius, deorumq; et dęmonum auctor est, atq;

id

id vniuersum voluntatis diuinæ munere nunc̃p in posterum dissoluetur. Cæteris autem operibus eius filij præsunt, secundum patris præceptum imitationemq; singula transigentes. A quibus furentium concitatio, atque raptus, & somnia, et oracula, et quęcunq; per vaticinium mortalibus accidunt. Terra vero omnium media sita est, circa discordiam agitationemúe, quæ per totũ porrigitur coarctata: diei noctisq; custos, deorum omnium qui intra cœlum sunt antiquissima. Ac post ipsam mundi totius animam dulcia nobis alimenta ministrat, circa quam cœlum voluitur: necnon astrum ipsa quoddam est, ob eamq; rationem immota permanet, quod æquilibrata est in medio similis continentium. Æther autem exteriorem prouinciam sortitus est, in sphæras vagantium & non vagantium distributus. Quibus aër successit. In medio vero terra vnà cum eius humore resedit.

CAP. XVI.

CVm hæc omnia fabricata essent, restabant mortalium animantium genera tria, volatilium, natantium, atque gradientium, quorum generationem filijs suis faber mundi mandauit. Nam si ipse hæc etiam genuisset, immortalia nata fuissent. Illi igitur à prima materia particulas, quas exactis certis temporum curriculis redderent mutuantes, mortalia finxerũt animantium genera. Quoniam vero de hominum genere vtpote dijs cognatiori tum patri Deo, tum etiam vatis cura erat, demisit huius generis animas in terram ipse omnium artifex stellarum numero pares. Verum cum quamlibet antea cognato astro tanc̃ vehiculo imposuisset, instar legum conditoris fatales illis leges explicauit, vt ipse extra culpam delictorum existeret. Docuit igitur perturbationes à corpore mortales exorituras:

turas: primo quidem sensum, postea voluptatem atq; dolorem, metumq;, et iram: quas quæ superarent, neq; se trahi permitterent, iustè victuras, & in cognatum astrum deniq; redituras. Quæ vero ab iniustitia superarentur, secunda generatione in vitam fœminæ migraturas. Et quæ nondum ab improbitate cessarent, in brutorum deniq; naturam degeneraturas. Finem verò laborum tunc demum futurum, cum innatos corporis affectus expulerint, & in proprium habitum iam redierint.

De corpore membrisq; hominis, & viribus animæ.

CAPVT XVII.

DIi autem in primis hominem ex terra, & igni, aëreq;, & aqua finxerunt, portiones quasdam quas quandoq; redderent à materia mutuantes, ligantesq; inuicem, latentibus nexibus corpus vnum ex omnibus confecerunt. Ac partem deinde animæ præstantio-

rem in capite locauerunt, cum cerebrum prius ceu cultum agrum præparauissent. Circa vultum organa ad ministeria sensum disposuerunt. Composuerunt quoq; medullam ex leuibus ac sine flexura triangulis, quibus elementa genita fuerãt, genitalis seminis futuram originem. Os autem ex medulla atque terra coëgerunt, postq; hæc duo igni & aqua crebrius irrigarant. Neruos item ex osse & carne. Caro verò ex salsa & acuta quadam quasi fermentatione cõpacta est. Circundederunt autem ossa medullis, & ossibus iuncturarum gratia neruos, vnde neruorum obsequio, flexiones articulorumq; nodi prouenerunt. Per carnem postremo tegmentum illis adiectum est, quæ tum alba, tum plurima, et ad decorem, et ad vsum viuentis est tradita. Ex ijs præterea interna sunt implicita viscera, venterq;, & circa ipsum intestina vndiq; reuoluta. Superne verò ab ore arteria & fistula faucium, vna quidem in stomachũ, altera autem in pulmones protensa.

Cibi

Cibi profectò in ventre digeruntur spiritu simul & calore attriti atq; molliti, atq; inde in totum corpus manant permutationibus propriis. Duæ autem venæ circa spinam erectæ, caput contrario modo implicant inuicem obuiantes, hinc in multa se scindunt. Postq; dij hominem fabricarunt, animamq; illius dominam corpori coniunxerũt, animæ ipsius principem rationem caput habitare iussere, à quo medullę neruorumq; origo deducitur, cuiusũe variis passionibus mentis alienatio sequitur. Quapropter circumpositis capiti sensibus ipsam corporis arcem quasi quibusdam satellitibus munierunt. In ea siquidem ea vis habitat quæ ratiocinatur, iudicat & contemplatur. At verò partes animę quæ mouentur affectibus, humilioribus sedibus addixerunt: Irascendi vim cordi, concupiscendi vtero atque iis quæ circa vmbilicum sunt partibus, de quibus in posterioribus disseremus.

CAPVT XVIII.

VErum posteaq; in vultu luciferos oculos insculpserunt, lumen illis igneum accendere. Quod cum lene & quodammodo crassum esset, existere diuini luminis germanum existimarũt. Id vtiq; passim per oculos emanat, verum per pupillas purius vberiusq; transcurrit. Quod quidem externo fulgori simile commixtum simili ac corroboratum videndi sensum præstat. Ideoq; noctu abeunte vel obumbrato lumine, haud amplius radius hic noster aëri se propinquo permiscet. Quo fit vt sese ad interiora recipiens demulceat atq; resoluat inter nos motus, somnoq; membra deliniat, vnde & palpebras cum iam retractum est claudit. Et si plurimum quietis induxerit, somnus fermè sine insomnijs surrepit. Quod si quædam adhuc agitationes restiterint, frequentia confestim phantasmata nobis occurrunt. Atq; hoc pacto phantasiæ seu veræ siue falsæ, tramite quodam directo

directo nascuntur. Post istas autem sequuntur imagines, quæ in speculis vel alijs corporibus translucentibus lenibusq; videntur, quę quidem haud aliter quàm secundum reuerberationem resultant. Quatenus enim vel concauum vel cõuexum vel oblongum speculum erit, eatenus visa diuersa intuentibus apparebunt. Nam lumina ad partes alteras reflectentur, à conuexo quidem repulsa atque dispersa, in concauum vero conuenientia. Quam ob causam in quibusdam dextra atq; sinistra contrauersa videntur, in alijs pari modo, in nonnullis autem supera ad infera, ac vice versa ad superna infera conuertuntur.

De cæteris sensibus, & obiectis eorum.

CAPVT XIX.

AVditus verò ad vocis perceptionem procreatus est, exoriens à motu, qui circa caput efficitur, ad iecur vsq; deueniens. Vox autem per aures cerebrumq; & sanguinem ad animam pene-

penetrat: acuta quæ mouetur velocius, grauis quæ tardius, magna quæ plurima, parua quæ pauca. Post hæc narium vis sequitur ad odorum perceptionem progenita. Odor autem est passio quædam, à narium venis vsque ad vmbilici regiones transfluēs. Huius species præter duas communiores nomina nequaquam habent. Atq; hæ quidem non aliter quàm bonus odor & malus odor, quæ suauitatis & nauseæ nomina sunt, cognominantur. Odor certè omnis aëre crassior est, aqua subtilior. Propriè autem in ijs odoris genus accidit, quæ nondum transmutationem integram susceperunt, sed communione quadam aëris & aquæ constant, cuiusmodi sunt quæ ex fumo & caligine conficiuntur. His enim inuicem alternatis, odorandi sensus efficitur. Gustum deinde variorum admodum succorum iudicem dij formarunt, venas porrigentes ab illo ad cordis sedem, quibus diuersi liquores examinarentur. Hæ siquidem dum dilatantur variè atq; contrahuntur, secun-

cundum succorum incidentias eorum varietatem discernunt. Sunt autem saporum differentiæ septem: dulcis, acer, ponticus, austerus, salsus, acutus, amarus. Et dulcis quidem natura reliquorũ omnium contraria, etenim humorem linguæ imbibitum perfundit atq; delinit, acer turbat atq; dispergit, acutus inflammat, et ad supera euolat. Qui vehementer abstergit & liquefacit, amarus dicitur: sed qui lenius purgat atq; permollit, salsus. Ex ijs autem saporibus qui obstruunt linguæ meatus et contrahunt, qui id asperius agunt pontici, qui vero lenius, austeri dicuntur. Tangendi postremò sensus à Dijs genitus est, vt calida dignoscat, & frigida, mollia & dura, leuia atq; grauia, lenia q; & aspera. Cedentia quidem corpora dicimus, quę tactum recipiunt. Resistentia, quæ minimè cedunt. Hoc autem propter corporum ipsorum fundamenta contingit. Quæ enim ampla, habent stabilia ac solida: quæ contrà exiguo fundamento vtuntur, cedentia, mollia,

lubrica

lubrica sunt. Asperum sanè est, quod inæquale ac durum. Lene, quod planum simul & pingue. Cum vero calida & frigida passio admodum oppositæ sint, diuersis causis inferuntur. Nam quod acumine ac velocitate partium scindit, calidam passionem gignit: frigidam vero quod ingressu pigrius. Dū tenuia quidem expelluntur, & in illorum sedes crassiora penetrare coguntur, tunc sanè concussio tremorq; prouenit, & quæ hinc passio in corporibus nascitur, rigor exitit.

De graui & leui. Cap. XX.

GRaue & leue per superiorem & inferiorem locum definire non decet: nihil enim aut sursum est aut deorsum. Nam cum cœlum omnino rotundum sit, & in conuexa superficie æqualiter leuigatum, haud decet aliquid superius, aliquid inferius prædicare. Cæterum graue quidem dicendum id est, quod difficile in locum extra naturam suam trahitur; leue vero, quod

quod facilè. Item graue quod ex plurimis, leue quod ex pauciſsimis partibus eſt compoſitum.

De reſpiratione. Cap. XXI.

REſpiramus autem hoc pacto. Aër amplus circumſtans vndique per os ac nares, cæteroſq; latentes meatus corporis influit. Calefactus inde ad externum cognatumq; aërem refluere nititur. Qua vero ex parte effluxit, extimum aërem ad interna repercutit, & huiuſmodi circulo nunquam ceſſante, inſpiratio & expiratio ſequitur.

De cauſis morborum. Cap. XXII.

MOrborum cauſas Plato multas eſſe docuit. Primam quidem, elementorum exceſſum atq; defectum, mutationeſq; locorum in prouincias naturæ minimè congruas. Secundam vero, mutuam cognatorum regenerationem: veluti ſi ex carne ſanguis, aut bilis, aut pituita fiat. Hæc enim omnia nihil aliud quàm colliquationem & putre-

putrefactionem esse. Pituitam enim esse recentis carnis liquefactionem. Sudores autem & lachrymas effluxum quendam, reliquiasq; pituitæ. Extra quoque missa pituita, albas infectiones inducit. At intus atræ bili commixta, morbum comitialem, qui sacer appellatus est, procreat. Acuta vero & salsa pituita passionum, quæ per fluxum accidunt, causa est. Omnes enim qui pituita simul & bili grauantur, id pati necesse est. Nam innumeros variosq; morbos bilis cum pituita gignit. Febrem continuam ignis excessu contingere putat: Diurnam aëris, Tertianam aquæ, Quartanam denique terræ. Deinceps de anima, hinc sumentes exordium, dicendum est, etsi in idem redire videmur.

De tribus principalibus animæ viribus.

CAP. XXIII.

ANimam hominis immortalem à primo Deo suscipientes, dij mortalium generum conditores, partes illi duas

duas mortales, vt diximus, adiunxerunt. Verum ne vis animæ immortalis atq; diuina deliramẽtis mortalibus inficeretur, in ipsa corporis arce sedem eius vtpote principis omnium statuerunt. Etenim habitaculum eius caput esse voluerunt, ea figura, qua mundus elaboratus. Reliquũ vero corpus huic ad ministerium quasi vehiculum subiecerunt. Ipsis vero mortalibus portionibus proprias singulis prouincias assignarunt: Iracundiæ quippe præcordia: cupidini vero locum medium inter vmbilicum atq; diaphragma: ibiq; vim eam veluti furiosum & agreste animal, ligauerunt. Pulmones machinati sunt gratia cordis, molles atq; ventosos, & instar fistulæ cauos, & spongiæ similes, vt cor iræ ardore nonnunq; exæstuans, aliqua saltem refrigeratione mitigaretur. Iecur autem ad excitandam concupiscentiam animæ, rursusq; sedandam dulcedinem simul et amaritudinem nactum est. Quinetiam ita est institutum, vt diuinationes quæ per somnia fiunt,

in ipso reluceant. In eo siquidem propter lenitatem, soliditatem atque nitorem, vim à mente manantem refulgere putauit. Splenem vero iecoris ipsius gratia, vt & purget ipsum, & splendidum reddat, vtq; putredines corrodentes, quæ quibusdam morbis circa iecur affluunt, in splenē continuò delabant.

De distinctione partium animæ.

CAPVT XXIIII.

QVod autem illæ tres animæ partes locis propriis seiunctæ sint, hinc discere licet. In primis enim quæ natura segregata sunt, altera existunt. Natura vero segregatur, quod rationem habet, & quod rationi subijcitur. Siquidem illud circa intelligibilia versatur, hoc autem circa molesta vel læta. Quinetiam ratio hominibus duntaxat, pars autē perturbationibus obsequens, ceteris quoq; viuentibus competit. Ratio itaq; & irrationalis animæ portio, cum natura distinctæ sint, locis quoque seiunctę esse debent. Inueniuntur enim hæc

hæc duo sæpe inuicem repugnare. Nihil autem secum pugnare potest: neq; etiam quæ inter se contraria sunt circa idem, secundum idem, eodem in tempore, adesse vllo modo possunt. Videtur autem in Medea ira cum ratione pugnare: Intelligo inquit, quæ factura sum esse mala, ira tamen consilium superat. In ipso etiam Laio dum Chrysippum raperet, concupiscentia rationi nimium repugnabat: sic enim inquit: Heu heu diuinum hoc hominibus malum, quando quis bonum nouit, sed minimè vtitur. Item aliud quiddam esse vim rationalem, ex hoc planè patebit, quod diuersa vtrorumque curatio est. Illa quippe disciplina, hæc autem consuetudine & exercitatione curatur.

De immortalitate animæ.

Cap. XXV.

ANimam his rationibus immortalem esse Plato demonstrat. Anima cuicunque adest, vitam affert, vtpote illi naturaliter insitam: quod vero

vitam præstat, mortem minimè susci-
pit. Quod autē huiusmodi est, immor-
tale existit. Quod si immortalis est ani-
ma, incorruptibilis quoq; erit: Essentia
enim incorporalis secundum substan-
tiam immutabilis, intelligibilis, inuisi-
bilis, & vniformis est. Nonne igitur &
simplex & indissolubilis erit? Corpus
vero contrà habet, sensibile, visibile,
dissipabile, compositum, multiforme.
Præterea anima, cum per corporis sen-
sus ad illa quę sensibilia sunt descendit,
angitur atq; turbatur: neq; similis esse
potest illius, cuius præsentia perturba-
tur: quare intelligibilibus potius quàm
sensibilibus similis est. Intelligibile ve-
ro ipsa sui natura semper incorruptibi-
le. Accedit ad hæc, quod anima ipsa na-
tura corpori dominatur. Quod autem
natura sua regit & imperat, diuinitati
cognatum: Quapropter anima Deo
proxima, immortalis erit. Item quæ-
cunq; sine medio contraria sunt, neq;
secundum seipsa, verùm secundum ac-
cidens quoddam, sic à natura sunt in-
stitu-

stituta, vt ex se inuicem mutuo fieri valeant. Ipsum vero quod homines viuere vocant, ipsius quod mori dicitur cõtrarium est. Quemadmodum igitur mors est animæ à corpore separatio, sic vita animæ cum corpore congressio est, animę inquam quę ante corpus extiterat. Quod si & fuit ante, & post mortem erit, consentaneum videtur vt sempiterna sit: Neq; enim vltra quicq; quod illam perdat excogitari potest. Adde, quod si disciplina reminiscentia quædam est, immortalem esse animam necesse est. Esse verò reminiscentiam sic adstruimus. Neq; enim aliter discere quicq; possumus, quàm per recordationem eorũ quæ quondam nouimus: Nam si à singulis vniuersalia intellexímus, quonam pacto singula ipsa vniuersa cum infinita sint percurrimus? At quomodo ex paucis individuis communia ipsa percepimus? Deciperemur enim atq; mentiremur, perinde ac si iudicaremus, omne quod respiratione vtitur, solũ animal esse. Vel quomodo

ipsæ intelligentiæ in nobis principales essent? Reminiscendo igitur intelleximus ex paruis acceptionibus à quibusdam secundum partem incidentibus, reminiscentes eorum quæ iamdudum cognoueramus, quorumúe obliuionem tunc primum perpessi sumus, cum primum animæ in corpora descenderunt. Præterea si anima à proprio malo nequaquam corrumpitur, nunq; alterius malo, neq; simpliciter à quocunq; malo destruetur. Cumq; huiusmodi sit, incorrupta perseuerabit. Item quod seipso mouet, vtpote motus principium, semper mouetur: & quod huiusmodi, immortale est. Anima verò seipsa mouetur: & quod seipso mouetur, motionis omnis generationisq; principium. Principium autem ingenitum et incorruptibile permanet. Quapropter & hominũ & reliquorum animantium animæ fortè tales existunt, atque eiusdem mistionis participes. Per se mobilem sanè animam vocat, quoniam innatam habet vitam semper secundum seipsam ope-

pperantem. Quod igitur animæ rationales immortales sint, ex Platonis sententia quisq; asseuerare potest. Vtrum vero & irrationales, ambiguum esse videtur. Probabile tamen est irrationalium animas cum sola phantasia ducantur, ratiocinationis iudicijq; expertes, nec intelligentijs earumue collectione, aut boni maliue discretione vtantur, aut sanè eiusdem cuius & animæ nostrę naturæ participes esse: sed mortales potius corruptioniq; obnoxias. Ex eo autem quod rationales sint, sequitur vt extrinsecus ingrediantur in corpora, formatis iam fœtibus adhærentes, & in corpora plura tum humana, tum etiam alia, eundem semper seruantes numerum transfigurare valeant, atque id voluntate Deorum, siue incontinentia vitæ, corporisq; amore: Quippe corpus & anima cognationem inter se quandam habent, qualem ignis atque bitumen. Quinetiam Deorum animæ vim discernendi, quæ etiam dignoscendi facultas dici potest, nactæ sunt.

Præterea & aggrediendi naturam, quem assistendi vigorem possumus nuncupare. Post hæc vim quandam, qua conciliant & gubernant, quæ quidem naturæ cum in hominum animis insint, postq; in corpora venerint, permutantur. Conciliandi nanq; & gubernandi facultas in concupiscentiam, aggrediendi autem vigor in iracundiam transmutatur.

De virtutibus & vitijs, atque horum distinctionibus.

Cap. XXVI.

Quoniam vero secundum vires rationales et irrationales anima trifariam diuisa est, id homini contingere Plato existimat, vt nunq; prudens esse queat, dum aut timidus aut intemperatus existit: ideoq; absolutæ virtutes inuicem inseparabiles sunt. Dicuntur & alio quodam modo virtutes naturę dotes & inclinationes bonæ ob quandam similitudinem, idem quod & perfectæ virtutes nomen adeptæ. Quamobrem milites

milites fortes quandoq; dicimus, necnon imprudentes ac temerarios: quosdam fortes aliquãdo prædicamus, haud sanè de perfectis virtutibus, sed de dotibus naturæ loquentes. Absolutæ profectò virtutes nec crescunt vnquam nec decrescunt. Vitia vero intenduntur atque etiam remittuntur: vnus siquidem altero imprudentior & iniustior. Nec tamen se inuicem vitia cuncta sequuntur, sunt enim contraria quædam, quæ in idem congredi nequeunt. Sic se habet ferocitas aduersus timiditatem, & aduersus auaritiam prodigalitas. Neq; inueniri quisquam potest omnium vitiorum maculis inquinatus, quemadmodum nec corpus cunctis morborum corruptionibus simul afflictum. Accipienda est insuper media quædam affectio, quæ nec ad vitium, neq; ad virtutem pertineat. Neque enim homines vniuersos probos vel improbos esse necesse est. Nam huiusmodi sunt, qui iam ad integrum prouenerunt, haud quippe facilè est euestigio à vitio ad

virtutem progredi. Longo enim interuallo extrema inter se distant. Virtutum præterea quædam principes, quædam verò pedissequæ. Principes, quæ in parte animæ rationali quibus & cæteræ virtutes perficiuntur. Pedissequæ vero, quæ circa partem rationis expertem versantur. Hæ siquidem honesta operantur haud sanè secundum rationem, quæ ipsis insit (neq; enim habent) verum secundum normam à prudentia ex consuetudine & exercitatione illis impositam. Et cum neq; scientia neq; ars in alia parte animę quàm in rationali consistat, virtutes quæ circa partes irrationales versantur doceri nequeũt, quia nec artes, nec scientiæ sunt. Neq; enim propriam intelligẽtiam possident. Prudentia tamen, quę et scientia est, propria vnicuiq; tribuit, quemadmodum gubernator nautis quædam ab illis minimè inspecta interdum indicat, illi vero sequuntur. Eadem quoq; ratio in milite, & exercitus duce. Cum vero mala & intendantur & remittantur,

tur, delicta paria nequaquam erunt, sed quædam maiora, minora nonnulla. Quam ob causam conditores legum quædam lenius, quædam asperius puniunt. Et quamuis ipsę virtutes summitates quædam sint, ex eo quod perfectę sunt, ac recto comparantur, alio tamen modo mediocritates dicuntur, eo quod circa singulas vel saltem plurimas, duo vitia vtrinque conspiciuntur, quorum vnum excessu, alterum defectu prouenit: Velut circa liberalitatem, hinc auaritia, indę prodigalitas cernitur. Nam in affectibus intemperantia sequitur aut ex eo quod vltra decens transitur, aut ex eo quod nequaqą attingitur. Neqą verò qui parentibus suis furentibus nihil mouetur, neqą etiam qui ex quibuscunqą minimis effertur, moderatus est. Item qui parentibus vita functis nihil dolet, insensatus est, qui verò mœrore seipsum perdit, effrenis: at qui mediocriter tristatur, moderatus dicitur. Et qui in omnibus trepidat formidolosus: qui nihil omnino metuit,

metuit, ferox: fortis autem qui ad timendum atq; audendum mediocritatem seruat. Eademq; de cæteris omnibus ratio est. Quoniam vero mediocritas in affectibus optima est, nec aliud est mediocritas quàm medium inter excessum atque defectum, ob id virtutes huiusmodi mediocritates dictę sunt, quod nos mediocriter affectos circa perturbationes humanas reddunt.

Quomodo virtus quidem voluntaria, prauitas autem inuoluntaria.

CAP. XXVII.

POstquam vero si quid aliud in nostra potestate consistit, nec est coactum, eiuscemodi præcipuè virtus est. Neq; enim laude digna existimaretur, si vel natura, vel diuina sorte contingeret. Sequitur vt voluntaria virtus existat, atq; id per affectionem quandam flagrantem generosam atq; perpetuam. Ex hoc tandem quod virtus voluntaria est, prauitatem inuoluntariam esse concluditur. Quis enim in parte eius præ-

præstantiori, extremum esse malum sponte vnq; eligat? Quod si quis in vitium labitur, primum quidem non vt in malum, sed velut in bonum potius inclinatur. Et si in malum irruit, omnino deceptus est, vt per minus malum maius quoddam malum deuitet, atq; ex hoc inuoluntarius agitur. Neque enim fieri potest vt quis eo animo ad mala declinet, quasi mala exoptet, neque spe aliqua boni, aut metu maioris mali feratur. Quamobrem omnia quæ improbus agit, inuoluntaria sunt. Nam cum iniustitia inuoluntaria sit, multò magis iniustè agere inuolũtarium erit, quo deterior est operatio ipsa vitij, quàm eius habitus otiosus. Et quanuis inuoluntaria sint scelera, scelerati tamen homines puniendi. Ac etiam diuersa pœnarum genera esse debent, quemadmodum illata per iniuriam damna differentia sunt. Inuoluntarium præterea in ignorantia quadam vel perturbatione consistit. Quæ profectò excutere licet ratione, consuetudine q; ciuili atq; diligentia.

De

CAPVT XXVIII.

TAntum vero malum iniustitia est, vt iniuriam pati præstet admodũ, quàm inferre. Etenim iniuria quencũ afficere, improbi hominis opus est: affici verò iniuria, imbecillis est passio. Turpe quidem vtrunque. Attamen inferre iniuriam eo deterius est, quo turpius. Atqui operæ precium est iniusto se iudici vltro subijcere, quẽadmodum ægrotanti medico se cõmittere. Omnis enim castigatio medicina quædam est delinquentis animæ. Quoniam verò virtutes quamplurimæ circa affectus perturbationesq; versantur, affectus ipsi iam distinguendi videntur. Est autem affectus motus animę sine ratione, gratia boni cuiusdam aut mali. Irrationalis motus ideo dictus est, quia nec iudicia, nec opiniones affectus sunt, sed irrationalium partium animæ motus. In parte enim animæ rationis expertæ motiones sunt, quæ etsi nostra sunt opera, nihilo tamen magis in nostra

stra potestate consistunt. Sæpe igitur inuoluntarij motus huiusmodi nobis exoriuntur, voluntatiq; repugnant. Quandoq; enim accidit, vt dignoscentes nec aspera esse quæ incidunt, neque dulcia, nec expetenda, nec etiam metuenda: nihilominus ab ijs trahamur. Quod sanè nunquam pateremur, si perturbationes idem essent atque iudicia. Hæc enim tunc reijcimus cum ipsa per consilium confutamus, siue vt decet, seu non id agamus. Adiectum præterea in definitione est, boni cuiusdam, aut mali gratia: Nam ex indifferenti occursu affectus minimè concitatur. Ex eo enim, quod aliquid aut bonum aut malum apparet, perturbationes omnes nascuntur. Et si bonum adesse videatur, voluptate perfundimur, si fore cupimus: malum contrà cum præsens apparet dolemus, futurum metuimus. Simplices præcipuiq; affectus duo sunt, voluptas scilicet atque dolor. Cæteri autem ex ijs velut elementis quibusdam conficiuntur. Neq;

enim

enim cum ijs timorem & concupiscentiam quasi simplices principalesq; sint, annumerare debemus. Nam qui metuit, non omnino voluptate priuatus est: quippe si malorum repulsionem vel leuationē penitus desperarit, haud vltrà metueret, imò acriori inde passione afflictus, doleret iam potius quàm timeret. Qui verò cupit, quādoquidem consecutionem eius quod appetit, sperat, quodammodo delectatur: & cum haud certam spem habeat, angitur. Quod si cupido ac metus minimè simplices sunt, sine controuersia concedetur, nullum quoq; reliquorū affectuum simplicem esse, velut iram inquam, desiderium, æmulationem, cæteraq; huiusmodi. In ijs enim voluptas & dolor tanquam ex ijs compositis inspiciuntur. Perturbationum præterea quædam agrestes, nonnullę domesticę sunt. Domesticæ quidem quæcunq; secundum naturam hominibus insunt. Atque hæ sinè dum modum tenent, necessariæ ac propriæ sunt: at cum supra modum efferun-

feruntur, profectò delinquunt. Eiusce-modi sunt, voluptas, dolor, ira, misericordia, verecundia. Conueniens quippe hominibus est ijs, quæ secundum naturam accidunt delectari, contrarijs vero dolere. Et ira quidem ad repellendam vlciscendamq; iniuriam necessaria est: misericordia humanitatis atq; caritatis est propria: verecundia vero vt ab aduersis declinemus, nos prouocat. Agrestes autem & ferinæ perturbationes præter naturam hominum ex peruersione vitæ, ac deterrima consuetudine procreantur. Huiusmodi sunt, risus effusior, & in malis contingentibus exultatio, & humani generis odium: quæ siue vehementes atque intensæ seu remissæ sint, aut quomodocunque se habeant, semper aberrant, mediocritatemq; laudabilem nullam prorsus admittunt. De voluptate autem & dolore, sic inquit Plato: Has videlicet perturbationes in nobis ab ipsa origine naturaliter excitari: Dolorem quidem ijs, qui præter naturam

mouentur accidere: voluptatem verò illis, qui in naturam suam restituuntur. Existimat enim naturalem hominis statum esse medium inter voluptatem atq; dolorẽ, dum neutro mouetur: quo in statu plurimum tempus viuimus. Tradit item plures species voluptatũ: quasdam per corpus, nonnullas verò per animam: necnon ex voluptatibus alias dolori commixtas, alias puras esse: aliquas item per memoriam fieri, secundum spem alias excitari, nonnullas quoque turpes, honestas alias: & illas quidem ex incontinentia & ex iniustitia suscipi, has autem ex temperantia, aut alio quodam bono contingere, veluti gaudium illud quod ex virtutum operatione percipitur. Cum igitur voluptatum plurimarum natura obscœna sit, nequaq; disputandum esse censet, vtrum voluptas simpliciter & absolutè bonum esse possit. Exilis enim & inanis esse videtur, cuius natura pedissequa est alteriq; succedens, neq; substantiæ propriæ principalis particeps.

Con-

Contrario quoq; suo congreditur dolori semper immixta, quæ sanè nunquam contingerent, si voluptas absolutum bonum, dolor autem absolutum malum esse posset.

De fato, & libero arbitrio.

Cap. XXIX.

DE fato autem huiusmodi quædam Platoni visa sunt. Omnia, inquit, in fato sunt, non tamen omnia fato decreta. Fatum enim legis instar nequaq; dicit, hic talia faciet, hic talia patietur: In infinitum nanq; progressio foret, cum infiniti sint qui nascuntur, et innumera quę illis deinde contingũt. Libertas quoq; nulla restaret, et laudes vituperationesq; penitus tollerentur. Verum sic fatum pronunciat. Quæcunque anima talem vitam elegerit, & huiusmodi quædam commiserit, consequenter talia patietur. Libera ergo est anima, et in eius arbitrio vel agere vel non agere ponitur, neq; hoc ab aliquo cogitur; quod autem sequitur

actionem, ab ipso fato perficietur. Veluti ex eo quod Paris Helenam rapiet, quod quidem in eius erit arbitrio: sequetur, vt græci de Helena decertent. Sic quoque Apollo ipsi Laio prædixit, si genueris filium, natus ipse te perimet. In lege quidem, & Laius & generatio filij simul comprehenditur: fato verò institutum est, quod ex generatione filij sequitur. Ipsius autem quod possibile est, natura inter falsum & verum media cadit, eiq; suapte natura indefinito, libera animæ rationalis potestas vndiq; superfertur. Quod vero eligentibus nobis efficitur, confestim aut verum est aut falsum: ab eo autem quod in potentia, id est quod habitu quandoque actuq; erit, admodum discrepat. Quod enim potentia facultatem quandam & aptitudinem ad aliqua quę nondum ordinem suum sortita sunt, significat, quemadmodum puer potentia quadam grammaticus, tibicen ac faber dicitur, eritq; tunc in vnius aut duorum habitu constitutus,

cum

cum didicerit, habitumq; istorum aliquem nactus fuerit. In actu verò tunc demum esse dicetur, cum secundum acquisitum habitum operabitur. At quod possibile vocabamus, horum neutrum est: Indeterminatum enim atque indifferens natura sua, libertate nostra in vtram placuerit, statere lancem quodam modo declinante, mox aut verum aut falsum ex possibili fit.

De bonis, & summo bono, atq; virtutibus.

CAPVT XXX.

DEinceps quæ Platoni de moribus placuerunt, breuiter perstringamus. Venerandissimum profectò & supremum bonum, nec facilè inueniri, nec postquam inueneris tutò cuilibet reuelari posse putauit: ideoq; cum paucis admodum, atque ijs quidem familiarissimis ac probè electis, contemplationem ipsius summi boni communicauit. Nostrum tamen bonum, si quis diligenter eius libros examina-

uerit, in ipsa primi boni contemplatione posuisse reperiet: Quod quidem bonum, & deum & primam mentem nuncupare licet. Omnia enim quæ ab hominibus bona dicuntur, ea ratione bona nominari voluit, quod aliquo modo ipso primo bono participant: quemadmodum & dulcia omnia atq; calida, participatione quadam primi dulcis et calidi, appellationē huiusmodi sortiunt. Ex ijs vero quæ nobis insunt, mentem atq; rationem duntaxat ipsius boni similitudinem consequi. Quamobrem bonum nostrū, pulchrum quiddam, venerandum, diuinum, amandum, commensuratum, ac beatitudo apud illum vocatur. Eorum autem quæ vulgò dicuntur bona, cuiusmodi sanitas est, formaq;, & robur, necnon diuitiæ atque dignitates, nullum prorsus esse bonum, nisi in vsum virtutis inciderit. Separata enim hæc ab ipsa virtute, materiæ sortem solummodo tenent, atque ijs qui malè vtuntur, mala proculdubio sunt. Nonnunquam

quam tamen ipsa mortalia bona Plato nominat. Beatitudinem vero haudquaq; in bonis hominibus, sed in diuinis ac sanctis inesse. Ideoq; ingentibus quibusdam admirandisq; bonis legitimorum philosophorum animos refertos esse prædicat, ac post corporis mortalis interitum diuinis epulis vesci, veritatisq; campum cum dijs vnà circumlustrare. Idq; ex eo potissimũ promereri, quod in omni vita desiderio scientiæ diuinæ flagrauerint, atq; eam præ cæteris omnibus velutí præciosissimum quiddam coluerint. Cuius munere mentis illorum expergefactus oculus atq; reuiuiscens antea obcæcatus, innumeris tamen corporeis oculis preciosior, eos vniuersæ naturæ rationalis compotes efficit. Etenim ignorantes homines ijs comparat, qui vitam omnẽ in subterranea quadam spelunca transegerint, vbi fulgidum solis lumen nunquam inspexerint, sed exiguas & inanes vmbras corporum eorum, quæ nos supra terram inspicimus. Quas

dum intuerentur, vera se corpora videre putauerint. Vt enim hos si quando è tenebris ad lumen emerserint, consentaneum est omnia quæ antea visa fuerant, ac seipsos multò magis tanquam omnino deceptos vituperare: sic & eos qui ex huius vitæ tenebris ad diuina se conferunt rationabile est, quæ quondam maximi fecerant aspernari, diuinorumq; beatam speculationem duntaxat amare. Ex quibus consequens est dicere, ipsum solum bonum in scientia primi, quod & pulchrum est consistere: quod per omnes Platonis libros ostensum est, semper tamen secundum ipsam participationem id assertum. In primo igitur libro de legibus hoc modo: Duo quidem bona sunt, humana videlicet atque diuina, & quæ sequuntur. Si quid autem absque virtute possidetur, & essentiæ primi est expers, id præterea ab ignorantibus bonum est appellatum: quod tamen in Euthydemo Plato ingens habenti malum esse testatur.

ſtatur. Quod verò virtutes per ſeipſas eligendas exiſtimat, ex eo patet, quod ſolum pulchrum honeſtumq; bonum eſſe cenſet, quod cum in multis eius dialogis demonſtretur, tum maximè in ijs quos de republica edidit. Quapropter hominem Dei ſcientiam conſecutum, feliciſsimum beatiſsimumq; exiſtimat. Neque tamen honorum cauſa, qui eiuſmodi virum ſequuntur, neque alicuius alterius præmij gratia beatum vocat: ſed licet homines vniuerſos lateat, eaq; etiam quæ vulgò mala putantur, infamiæ, exilia, atque mors illi contingant, nihilominus beatum fore. Atqui hominem abſque Dei ſcientia, cuncta quæ vulgus bona prædicat poſſidentem, diuitias, regna, ſanitatem, robur, & formam, nihilo magis beatum putat. Quibus omnibus conſequentem atq; conſonum finem induxit, hoc eſt Dei ſimilem fieri, quoad humanum genus aſſequi poteſt. Varijs autem modis id aſtruere tentat. Interdum quippe ſimilitudinem Dei dicit,

prudentem, iustum, sanctumq; esse, quemadmodum in Theæteto declarat. Vnde adnitendum monet ocius hinc ad diuina confugere. Fuga verò similitudo dei: similitudine dei prudentem, iustumq; sanctumq; fieri. Nonnunq; etiam per solam iustitiam, quemadmodum in vltimo de Repub. libro, dei similes fieri nos posse demonstrat: Neq; enim à deo, inquit, vnquam despicitur, quisquis conatur vt iustus euadat, & ipsius virtutis officio sese quantum licet dei similem reddat. In Phædone verò dei similitudinem per temperantiam iustitiamq; acquiri sic asserit. Nonne beati sanctiq; sunt, & in optimum locum migrant, qui popularem ciuilemq; virtutem, quã temperantiam & iustitiam vocant, exercuerunt. Interdum igitur vitæ finem esse dicit, dei similem fieri: aliâs autem sequi deum, ceu cum inquit: Deus profectò vt antiquus sermo testatur, principium, medium, finemq; rerum omnium continens, rectitudine perficit singula, secundum

dum naturam vndiq; circumcurrens. Hunc semper iudicium sequitur, iudex eorum, qui à diuina lege discesserint. Cui qui beatus futurus est, se sponte subijciens, mitis & modestus obtemperat. Nonnunq; vtraq;, vt cum inquit: Animam verò deum sequentem atq; illi consimilem, et cætera quę sequuntur. Etenim vtilitatis principium bonum ipsum existit, hoc autem ex deo dictum est. Consonus ergo principio finis erit, dei similem effici, dei scilicet cœlestis vel proculdubio supercœlestis, qui virtutem quidem non habet, est tamen virtute præstantior. Quamobrem rectè quispiam dixerit, κακοδαιμονίαν, id est miseriam, dæmonis deprauationem esse: εὐδαιμονίαν vero, id est beatitudinem, bonum dæmonis habitum. Tandem verò ad ipsam dei similitudinem accedemus, si conuenienti natura vtamur, moribusq;, et victu ac sensu secundum legem, rationeq; præsertim atq; doctrina, vt ab humanis negocijs longe admodum alieni, diuinisq; contemplationibus

tionibus dediti semper viuamus. Præpurgationes autem, & quasi purificationes quædam interioris dæmonis, si maioribus expiationibus opus fuerit, ipsæ mathematicæ disciplinæ erunt, per musicam, arithmeticam, astronomiam atque geometriam. Corporis quoq; cura per gymnasticam habenda est, qua promptius ad opera tum pacis tum belli reddatur.

Definitio virtutis atque distinctio.

CAP. XXXI.

CVm verò virtus diuinus quidam thesaurus sit, ipsa quidem est affectio quædam animæ perfecta & optima, ornatum, concordem & stabilem efficiens hominem, tum ad agendum, tum etiam ad loquendum, & ad seipsum pariter & ad alios. Ex virtutibus autem quædam circa partem rationalem sunt, quædam circa rationis expertem. Nam cum alia sit natura rationalis partis, alia irascendi potentiæ,

alia

alia etiam concupiscendi: diuersæ quoque harum perfectiones esse debebunt. Vnde ad primam prudentia, ad alteram fortitudo, ad postremam temperantia pertinebit. Et prudentia quidem bonorum & malorum indifferentium-ue scientia est. Temperantia ordo circa voluptates atq; libidines, eas obedientes rationi efficiens. Cum autem ordinem & obedientiam tribuimus temperantiæ, id sanè intelligi volumus, quod vis quædam est, qua cupidines pedissequæ naturalis domini fiunt. Fortitudo est legitimæ institutionis, seu arduæ, siue facilis, seruatio: id est conseruatrix & executrix facultas legitimi rationis propositi. Iustitia est consensio quædam omnium animæ partium: quippe vis quædam est, per quam tres animæ vires sibi inuicem consonant, & vnaquaq; secundum dignitatem proprio munere fungitur, vt iustitia communis quædam & integra harum trium virtutum, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ perfectio sit,

dum

dum ratio ducit & imperat: reliquæ verò partes quæq; pro naturæ suę officio superiori subiectæ obedientesq; permanent. Quamobrem virtutes coniugatione quadam se inuicem consequi putandum est. Fortitudo enim cum sit institutionis legitimæ conseruatio, rationis rectæ conseruatrix erit. Recta autem ratio à prudentia proficiscitur. Quinetiam prudentia cum fortitudine constat, bonorum nempe scientia est. Nemo autem bonum discernere potest, dum timiditate perturbationibusq; illam sequentibus obcæcatur. Atq; eodem modo neq; cum intemperantia prudens vir vllum habet commercium: ac generatim quisquis perturbatione concitus quicq; præter rationem efficit, propter insciti am semper aberrat. Prudentia vero rem propriam & rem familiarem, & rempublicam administrat: Et vt Rempub. gubernat, ciuilis scientia nuncupatur: cuius sunt officia duo: Leges condere, & conditas exequi. Prima νομοθετικη, id est

legum

legum positiua: secunda δικαστικὴ, id est iudiciaria nominatur. Considerat denique ciuilis peritia ea quæ ad pacem, & quæ ad bellum pertinent, & in eo cum alia plurima, tum hoc præcipuè, bellumne ineundum sit, an potius renuendum.

De amicitia.

CAPVT XXXII.

AMicitia propriè nihil aliud est, quàm beneuolentia mutua. Hæc vero tunc existit, quando vterque bonum alteri æquè ac sibi esse desiderat: quæ quidem æqualitas haud aliter quàm per similitudinem morum seruatur. Simile enim simili ac moderato amicum est: intemperata verò neque inuicem neque moderatis cõgruere possunt. Dicuntur et aliæ quædam, nec tamen sunt amicitiæ à virtute quodammodo coloratæ, cuiusmodi est naturalis parentum ad filios, cognatorumque ad inuicem beneuolentia, necnon ea quę ciuilis ac rhetorica

rica nuncupatur. Hæ siquidem non semper beneuolentiæ vicissitudinem habent. Species præterea quædam amicitiæ, amatorius affectus est. Amor honestus est animi generosi: turpis, abiecti: medius deniq; medij. Enimuero quemadmodum tres dispositiones sunt rationalis animi, bona videlicet, malaq;, & media, ita tres amatorij sunt affectus inuicem specie differentes. Quod autem tres sint amores, fines illorum diuersi declarant. Turpis quidem solam corporis voluptatem sequitur, ideoq; brutorum passio est. Generosus verò nudum respicit animum ad virtutis officia promptum. Medius vtranque diligit, tum corporis, tum animi pulchritudinem. Atq; ille etiam si fumatur, neq; probus est nec improbus: Quapropter amorem ad corpus ex parte aliqua declinantem dæmonem potius, quàm deum appellare decet, nunquam in terrena corpora mersum: diuina ad homines, humana rursus ad deos trajcientem. Cum verò

verò amatorius motus, in tres ideas sit, quas diximus, distributus: boni quidem viri amor passionis expers, artificiosus quodammodo est, vnde & in rationali animæ parte sedet: eiusq; cogitationes huiusmodi sunt: discernere, qui ob animi dotes sit beneuolentia dignus, atque eum sibi conciliare: Deinde eius quem amat, cogitationes appetitionesq;, si generosæ sint, & ad bonum feruore quodam animi perferantur, laudat & approbat: sin contrà se habeant, nec assentabitur illi, neque suauibus verbis obsequijsq; deliniet, sed absterrebit potius atque docebit, nequaquam illi donec talis sit, esse viuendum. Promittet autem semper ac porriget ea, quibus exercitatus is quem amat, ad optimam frugem euadat. Finis tandem is etiam, vt ex amore amicitia fiat.

De speciebus Reipublicæ.

Cap. XXXIII.

RErum publicarum quasdam præsupponendas esse dicit, quas in libris de Republica tradidit. In ijs enim priorem quidem concordem, secundam verò dissidentem descripsit, inquirens quænam istarum præstantiores essent, & quo pacto constituerentur. Est & apud eum instar diuisionis animæ, respublica quoque in tria membra diuisa, in custodes, adiutores, artifices. Primis autem consultationem principatumq; tradit: Secundis propugnationem, si quando opus fuerit: quos iracundiæ comparat, quasi opem rationi ferentes: Postremis verò artes ac cætera ministeria. Principes existimat philosophos, & contemplationi ipsius boni deditos esse debere. Hoc enim modo duntaxat ipsos omnia rectè gubernaturos, quippe nunquam humanum genus à malis cessaturum, nisi aut philosophi regnent, aut dominantes diuina quadam sorte philosophentur. Optimè enim & cum iustitia tunc administrari rem-

rempub. cum vnaquæque ciuitatis portio suo munere fungitur: Principes populi consultant atque decernunt: militares his obsequuntur atq; tutantur: reliqui verò superioribus libenter obediunt. Quinetiam reipub. species induxit, primam optimatum gubernationem, quando viri optimi præsunt. Secundam ambitiosam, in qua fastu inflati homines dominantur. Tertiam popularem. Quartam paucorum potentiam. Postremam tyrannicam, cunctarum deterrimam. Describit quoq; alias ex suppositione res publicas, cuiusmodi est quæ libris de legibus instituitur, & quæ ex emendatione in epistolis extat, qua vtitur aduersus eas ciuitates, quæ ægrotantes in libro de legibus relatæ sunt: quæ iam distinctam regionem nactæ sunt, & homines ex omni ætate electos, ita vt secundum diuersitates naturarum & regionum, disciplina propria importatione & exportatione, & armatura indigere monstrentur. Qui enim mari finitimi sunt,

nauigationi studebunt, & naualia prælia tractabunt. Qui autem continentem habitant, ad pedestrem pugnam aptiores erunt: & armaturam leuiorem qui montes colunt: grauiorem qui littora. Nonnulli verò ex ijs equestrem pugnam exercebunt. In hac vtiq; ciuitate mulieres communes nequaquam instituit. Est igitur ciuilis facultas virtus contemplatiua simul atq; actiua, quæ eligit atq; proponit bonam ciuitatem beatamq; efficere, & secum maximè consentientem: eiusq; proprium etiam imperare, vnde & militares artes omnes subiectas habet.

De sophista.

CAP. XXXIIII.

HActenus cuiusmodi sit philosophus dictum fuit. Sophista verò à philosopho tàm modo quàm materia discrepat. Modo quidem, quod sequitur mercedes iuuenum, bonusq; & clarus videri quàm esse mauult: Materia autem, quod philosophus circa illa quæ

quæ semper eadem sunt, & eodem modo se habent, versatur. Sophista circa id quod minimè est, contendit atque laborat, in prouinciam profectò quæ ob tenebras difficile cerni potest, refugiens. Ipsi nanque quod est, id quod non est, haudquaquam vt contrarium opponitur. Hoc enim nec existit, nec substantiæ vllius est particeps, nec etiam intelligi potest. Quod quidem si quis proferre vel cogitare cogatur, oberrabit atq; tergiuersabitur, ex eo quod secum ipse pugnet atq; dissideat. Ipsum verò quod non est, quatenus pronunciatum auditur, haud sanè nuda est ipsius negatio, sed cum suspicione quadam, & sub insinuatione alterius, quod quidem modo aliquo ipsum quod est comitatur. Quod nisi ipsa quoq; eo quod non est participarent, nequaquam ab alijs distinguerentur. Nunc autem quot sunt, quæ sunt, totidem modis quod non est, profertur. Quod enim non est, vnum aliquid eorum quæ sunt, profectò non est.

EPILOGVS.

Hæc ad introductionem quandam in Platonicam disciplinam dicta sufficiant: Quorum quædam ordine suo tractata sunt, nonnulla sine ordine certo sparsim inducta. Veruntamen sic tradita sunt, vt horum vestigijs, reliqua etiam Platonis sensa venari liceat.

ALCINOI FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1764368002/phys_0108

entur, vera ſe corpora vi-
rint. Vt enim hos ſi quan-
s ad lumen emerſerint,
c n eſt omnia quæ antea
vi ac ſeipſos multò magis
tai no deceptos vitupera-
re: ui ex huius vitæ tene-
bris conferunt rationa-
bile ndam maximi fece-
rant a inorumq; beatam
ſpecula taxat amare. Ex
quibus eſt dicere, ipſum
ſolum bo tia primi, quod
& pulchr ſtere: quod per
omnes Pl oſtenſum eſt,
ſemper tan n ipſam parti-
cipationem In primo
igitur libro d modo: Duo
quidem bona na videlicet
atque diuina, uuntur. Si
quid autem ab oſsidetur,
& eſſentiæ prim d præte-
rea ab ignorantib t appel-
latum: quod tan ydemo
Plato ingens habe eſſe te-
tatur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1764368002/phys_0109